



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1766

VD18 90118251

§. 23. Joannis Pecami obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

Sæcul. XIII. lectori credebatur idoneos: id quod argute
A. C. 1293. præstitit.

§. XXIII.

Joannis Pecami obitus.

In Anglia Joannes Pecamus, cum Ec-
 clesiam Cantuariensem annis tredecim
 ac dimidio gubernasset, animam reddidit
 hoc anno 1292. Ars studio disciplinæ
 ecclesiasticæ, præsertim contra possessio-
 nem beneficiorum plurium, contra absen-
 tiam, & concubinatum Clericorum.
 Sed tanta congestit bona, ut quinquies
 mille Sterlingorum libras pretio superan-
 tia relinqueret moriens, atque familiam
 ditaret suam. Restant plurima illius
 scripta, de rebus theologicis pleraque,
 sed parum cognita.

*Sup. lib. 88.**§. 13.**Vading.**1279. n. 15.**16. Esc.**Goduin.**p. 142.**Vading.**script. p. 217.**Cave p. 513.**Anglia sac.**to. I. p. 11. 12.*

Post ejus mortem sedes Cantuarien-
 sis unius anni & novem mensium spatio
 vacavit propter longum interregnum Ro-
 manum; quo durante Collegium Cantua-
 riense in Archiepiscopum suum cooptavit
 Robertum Vinchelseensem clarum Theo-
 logum. Operam litteris in Anglia datam
 Parisiis persecutus, ibi Magister artium
 evasit, paulo post in Rectorem Univer-
 sitatis electus. Oxonium deinde venit,
 ubi Doctor Theologiæ, atque Cancellarius
 Universitatis creatus est. Tum
 Archidiaconus Essexiæ in Ecclesia Lon-
 dini

dini factus, sede hic posita officio divino præfens assidue, in pulpito theologico quotidie, in suggestu eloquentiæ sacræ sæpenumero spectabatur. Ejus electio ad sedem Cantuariensem Regem, Proceres, Clerum, ac populum perfudit gaudio. At ipse post triduum ægre animum induxit, ut consentiret. Postea Romam petiit ibi confirmandus. Sed expectanda erat creatio Papæ. Interim animos ita sibi conciliabat, ut supremo honoris fastigio dignus ipse haberetur. Præter dotes præcipuas egregia corporis specie, ac moribus suavissimis excellebat.

Sæcul. XIII.

A. C. 1293.

§. XXIV. DE VACATIONE

Vacatio summæ sedis.

Romæ interea Senatorum designatio ineunte anno 1293 iteranda locum dedit seditioni tam violentæ, ut urbs sex menses careret Senatoribus, ac cives crudele sibi bellum inferrent. Effringebantur portæ, incendebantur turre domusque, utensilia diripiebantur. Tres Cardinalium patria Romanorum, quod se imbecillimos sentirent, cum Matthæo Aquaspartano, & Gerardo Parmensi Reate se contulerunt ibi æstatem acturi: Benedictus Cajetanus Viterbii solus hærebatur. Reliqui tres Romani manebant Romæ, nempe Jacobus ac Petrus Colu-

Boll. to. 15.

p. 440. 444.

p. 445.

Vers. 185.

Z 2

mnæ,